



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio Practica ...**

De Conversatione Apostolica A Curatoribus Animarum piè & fructosè  
instituenda - Complectens vatos & solidos modos juvandi & consolandi  
diversorum Statuum Personas afflictas, præcipuè ægras & captivas

**Lohner, Tobias**

**Dilingae, 1677**

Memb. III. Quomodo Infirmus alios Homines alloqui possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48248](#)

Etissimam ejus voluntatem sollicitè indagare , atque perfectè implere studeatis , sìcque digni efficiamini promissam mecum in cælis hæreditatem accipere , quam vobis & mihi clementer concedere dignetur Pater , & Filius , & Spiritus Sanctus. Amen.

M E M B R U M III.

Quomodo Infirmus alios Homines adstantes alloqui possit.

I. **P**erdilecti Amici & Fratres in Christo , cùm jamjam intrigendar viam , per quam omnes ad alteram vitam transire oportet , neque sciam , quâ horâ Dominus noster venturus , méque à gratissima vestra Societate abstracturus sit , liceat mihi cum vestra venia ante abitum meum , animi nisi vobis sensa , desideriáque explicare .

II. Inprimis ergo confiteor , me , dum jamjam supremo iudicio me sistendum credidi , idéoque vitam & opera mea accuratiùs examinavi , in ijs omnibus nihil reperisse , nisi vanitatem & afflictionem animi , solis illis operibus exceptis , quæ ad debitum DEO amorem , servitiūmque præstandum direxi . Omnes proinde adhortor , ut commodis ac saluti vestre melius prospiciatis , & totos vos divino cultui , servitióque divino consecretis , ne serò olim errorem vestrum agnoscere , & sine spe correctionis deplorare cogamini .

II. Secundò confiteor , me in omnibus meis adversitatibus , & præcipue in hac ultima mea necessitate nullum melius solatium , ac robur animi invenisse , quâ spem atque fiduciam , quam in meritis acerbissimæ Passionis & Mortis JESU Christi Domini mei collocavi , & patientiam , per quam me ipsi conformare studui . Quapropter & vos adhortor , ut similem fiduciam in his sanctissimis & infinitis meritis collocetis , & quidquid DEVS pro vestra salute permiserit , cum magna patientia , gaudióque accipiatis , ut in altera vita tanto copius gaudium percipere possitis .

IV. Tertiò confiteor potissimum spem & securitatem meæ salutis in præsenti statu mihi oriri per exiguum quidem , sed constantem devotionem , quam erga SS. DEI Matrem , S. Angelum Custodem , & reliquos Patronos hactenus ostendis , per quorum proinde auxilium & intercessionem , sicut ego

modò

modò veniam meorum peccatorum, defensionem contra hostes, & felicem ex hac vita transitum me impetraturum confido, ita vos quoque adhortor, ut in cultu horum Patronorum constanter pergatis, & per hoc tam efficax medium salutem vestram assecurare studeatis.

V. Quartò confiteor, quòd hoc tempore nullius rei magis me penitentia, quam peccatorum commissorum, & temporis tam male impensi. Atque utinam mihi hoc tempus redimere licet, ô quam multò fructuosiùs illud impendere, singulare momenta observare vellem! Vos ergo, Dilecti, damno meo respiscite, & concessum vobis tam pretiosum & acceptabile tempus fructuosiùs impendere studeate.

VI. Non minùs quintò confiteor, me tam à vobis, quam ab aliis absentibus Amicis innumera beneficia accepisse, sed pro dolor parùm agnovisse, aut compensasse, omnes proinde, quos unquam offendi, demissè, ut ignoscant, rogo, similique gratias amplissimas pro acceptis beneficiis persolvo, pollicorque, me in altera saltem vita DÈVM pro ijs deprecaturum, ut tantam illis charitatem ac beneficentiam milles duplo fœnore compensare dignetur.

VII. Etsi verò ob hanc meam ingratitudinem indignum me agnoscam ulteriori vestro beneficio, confidens tamen Christianæ vestræ dilectioni, & misericordiæ, etiam atque tam rogo, ut tria mea desideria & petitiones implere dignemini. Primo, ut, quoniam ego solus sufficiens non sum ad debitum DÈO pro acceptis beneficiis gratias persolvendas, vos me in hoc debito solvendo adjuvare, atque adeò meo quoque nomine copiose pro tantis favoribus DÈVM benedicere & laudare studeatis. Secundò, ut eâ sollicitudine ac charitate ultimam meam voluntatem impletatis, & meos relictos Liberos, aliosque Consanguineos fovetatis, quo desideratis vestram sim in simili casu voluntatem impleri, & Consanguineos averi. Tertiò, ut tam in residuo vita mea brevi tempore, quam post mortem meam fideles vos Amicos ostendatis, & cum devotis precibus, tum alijs pijs operibus ita mihi succuratis, ut & vitam meam feliciter claudere, & sine diurno purgatorio celeriter ad optatam beatitudinem pervenire valam; ubi & ego vestræ charitatis diligenter memorem me futu-

futurum, precib[us]que meis, quantum potero, compensa-  
rum promitto.

VIII. Valete, Amici dilectissimi, & ita vivite, ut ali-  
quando in æternum vivere valeatis. Ita voveo ex animo,  
Deumque suppliciter obtestor, ut hoc meum votum ad suam  
majorem gloriam, meumque ac vestrum solatum, ac salu-  
tem copiosè implere dignetur. Per Christum Dominum no-  
strum, cui cum Patre & Spiritu sancto sit sempiternus honor  
& gloria. Amen.

### §. XIII.

Quibus medijs uti debeat Operarius ad mori-  
bundum animandum, & ad mortem  
ritè disponendum.

Cùm ad finem vitæ propriùs accedere videtur æger, ante  
Omnia curandum est, ut removeantur, qui bonam ipsius  
præparationem ad mortem impedire possunt, quales sunt ple-  
rumque Liberi, Conjunx, & similes, qui humanos potius af-  
fectus, quam spirituales excitant. Postea verò ipse Oper-  
arius totis viribus se convertat ad animandum, prætendendum,  
ac adjuvandum moribundum, ut piè & christianè decedat,  
quem in finem Indulgencias, Aquam benedictam, Cereum  
sacrum, Crucifixi effigiem, sanctissima nomina JESUS & MA-  
RIA, & pias denique aspirationes potissimum adhibebit, de  
quorum singulis quid observandum sit, sequentia membra  
docebunt.

### M E M B R U M I.

Quid circa Indulgencias moribundorum sit  
observandum.

I. Non est h[ic] anirus de pluribus indulgentiis, quas s[unt] zgi  
obtinere possunt, fusiū differere, sed de ijs duntari,  
quæ proprie[tes] sunt moribundis, de quibus tria præcipue obser-  
vanda sunt ab Operario.

II. Primum est, ut sciat, quinam Indulgencias moribun-  
dorum lucrari possint. Pro quo intelligendo sciendum est,  
duplicis generis indulgentias moribundis solere concedi, alle-  
quas, quæ ab alio applicari debent; alias, quæ nulla alterius  
applicatione indigent, quales esse concessæ censemur, si in